

tu sese exferens, quod ista utriusque rei ἰσοσθένεια maxime fuerit commendabilis, facile colligimus e familiariori illo, quo Deus ipsos dignatus est, commercio. In hoc enim, per crebriorem Θεοφωτίαν illustrato, eo major efflorescebat erga Deum *fides*, quo major erat istius familiaritatis gratia. Ab ista autem reverentiam una cum sanctimonia, qualem justum *fidelitatis* officium requirit, abfuisse, satis cognita & ab ipso Deo comprobata ipsorum integritas ut suspicemur, nobis haud permittit. Qui istius elogii, quo ipsis *ה'אלהים ה'תהלך* τὸ *ambulare cum seu coram Deo tribuitur* Gen. V, 22. 24. c. VI, 9. c. XVII, 1. emphasin vel mediocriter tantum perspicit, is sane in eo *fidei fidelitatem* tam arcte deprehendit junctam, ut nihil & arctius & aptius cohærere possit.

2. E theologia prophetica unum tantum atque alterum locum producturus commendo meditationem in aureola illa Davidis Ps. II, II. *Exultate cum tremore, frenet euch mit zittern*: & istud Jesaiæ, seu apud ipsum ipsius Messiae c. XLV, 24. *Omnis lingua jurabit, dicens, in Jehova se habere justitiam & robur.*
3. Excitatio ad *exultationem* est evangelica, *fidem*, seu *fiduciam*, quæ filiorum est erga Deum, & quæ redemptorum est erga redemptorem Messiam, accendens & augens. Ista vero ut in justo ac demisso sese officio contineat, eidem adjungitur *tremor*, quem regia redemptoris majestas iis, qui paupertatis suæ spiritualis suæque indignitatis sensu premuntur, incutit; at ita comparatus, ut, pro adjuncto gaudii spiritualis privilegio, animum non dejiciat, sed tantum ad demissam  
*fide-*